ADMODUM REVERENDO VIRO ALOYSIO DALL'OSTA PRIMUM SACRA...

Giovanni Battista Zanettini

ADMODUM REVERENDO VIRO

ALOYSIO DALL' OSTA

PRIMUM SACRA FACIENTE

IN

LAETITIAE ATQUE EXISTIMATIONIS

ARGUMENTUM

JOHANNES BAPTISTA ZANETTINI

in Feltr. Sem. Prof.

FELTRIAE TYPOGRAPHIA SEMINARII

Apud Jo. Marsura 1830.

642

ODE

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

JOSEPHO ZUPPANI

CANC. EPISC. ET CATH. BELL. ECC. CANO.

D.

ODE.

Qualis parentem nido Aquilæ tener
Pullus volantem vidit ad ætheris
Sublima tractus, consciaque
Alta sequi trepidavit ala:
At mox juventa fervidus aera
Tentat profundum, & provocat Africum,
Nimbosque grassantes, & atro
Terrificas Aquilone nubes,
Audax paternis flammea viribus
Spectare solis fulgura proximi
Securus, urentemque ducit
Luminibus cupidis nitorem:

446

Spectanda crevit, grandi ALOYSII
Virtute & exemplis, ALOYSII
Nativa virtus, & minorum
Impatiens adolevit aris.
Quæ corda templis, & sibi segregat
Autor, secundo munerat omine,
Et largus ad pleuum benigna
Ditat ope, & tegit usque dextra:
Sed cura vires, sic placitum, insitas,
Et destinatam roborat indolem:
Utcunque præcessere sortes,
Proficiunt bene nata cultu.
Feracium sic filia collium
Rectis inhærens arboribus viret
Fœcunda vitis, jam racemos
Magnificis paritura cænis.
At mens recenti cur trepidat metu,
Lentoque fervet pectus anhelitu?
I lætus, i felix, tuæque
Fac alacer bona jussa sortis.

Non forte cæca, nec sine numine
Cæli faventis, rite domesticum
Te fovit exemplar volentem,
Quale Titum, viduœve natum,
Amice, Pauli. Namque Deus suo
Coram superni munera spiritus,
Et jura divina, piasque
Conspicuas dedit ore leges
Hausisse. mirum quod foret omnibus,
Quicunque surgentem puerum, & graves
Videre mores, ut senile
In juveni properaret ævum.
Quis non vocati notaque Samuel,
Exempla? quis non & memorat David?
Horrenda fatalis leonum
Monstra manu puerili & ursos
Stravit: Gigantum post domitor, suæ et
Spes prima gentis contudit hostium
Minas, triumphalemque opima
Thura tulit adolenda honorem.

Divina cæptum comprobat omina:
Pullusque saltu suscitat ungulam
Equus futurus, nec probatæ
Degenerat senium juventæ.
Unde auspicatos ingeminat fréquens
Laus æqua plausus, & populum excitat
Clamore mirantem secundo:
Perge, Puer Venerande, perge:
Non te doloso lubrica gaudio
Trahet voluptas, quem sibi creditum
Virtus, & electum vocantis
Aura fovet manifesta cæli:
Te sacra, & aræ, blandaque te decent
Pii ministrum munera carminis:
Tuæ tibi hæ sortes, & almæ
Dona homini reserare pacis.